

DE
ARTE MEMORIAE COMMENTATIO HISTORICA.

Memoriae quum haud exiguum momentum sit in institutione juvenili, atque ipsa sit omnis eruditionis si non summa at certe fundamentum, non alienum videtur ab hac praelusione scholastica, qua nos, nuper rectoris gymnasii munus auspicati, omnes praesides et fautores scholarum ad haec solemnia et publica examina concelebranda nunc primum invitamus, de ratione et de arte memoriae disputare. Est enim revera non ita contemnenda illa vis mentis, nec fuit olim contempta, ut hodie quibusdam videatur, qui nova subinde ingenii inventa quaerentes, nihil fere quod teneant dignum arbitrantur; quum vel Graeci, sane haud insulsi homines, Mnemosynen, coeli ac terrae filiam, Musarum matrem finxerint ¹⁾. Nec immerito et Quintilianus omnem disciplinam memoria constare existimabat, frustra que nos doceri, si, quidquid audiremus, praeterflueret ²⁾; et Cicero omnium rerum thesaurum eandem appellabat, quae nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhiberetur, omnia, etiamsi praeclarissima fuissent, peritura ³⁾.

Est autem triplex vis ac facultas memoriae, et cito percipiendi, et firme continendi, et fideliter revocandi, quae erant percepta; quarum prima pars, suo nomine fere caret: nam et Graecum *κατάληψις*, et Latinum perceptio, et nostrum seu Auffassungskraft seu Auffassungsvermögen latius patent, quia haec vocabula non solum vim audita et visa concipiendi sed introspiciendi et penitus cognoscendi significant ⁴⁾. Altera vero vis dicitur proprie *memoria*, a Graecis *μνήμη*, a nobis *Gedächtniss*, ac merito: quum *continere* proprium ac verum sit negotium hujus facultatis, ceteraque duae partes tantum adjuvent secundam; prima ut huic novam materiam suppeditet; tertia, quam Graeci *ἀνάμνησιν*, Latini *recognitionem*, nos *Erinnerung* vocamus ⁵⁾, ut expromat reconditam. Itaque tota nostra commentatio in memoria ⁶⁾ potissimum versabitur, nec tam in exponenda ejus indole ac na-

1) Plut. de puer. educ. 12. — 2) Inst. orat. XI, 2, 1. — 3) de Or. I, 5, 18. cfr. Rhet. ad Her. III, 16. — 4) Cf. Cic. Acad. II, 6, 17. — 5) De differentia horum vocabulorum cf. L. Doederleinii eruditam disputationem in *Lat. Synonyme u. Etymologieen* Part. I. p. 169. — 6) Quodsi quaerimus de

tora, quam in ejus usu et arte, examinabimusque, cui commodo ea et olim fuerit adhibentibus, et esse possit hodie, praesertim in puerorum institutione, eadem usuris.

Edidit nuper ¹⁾ de arte veterum mnemonica commentationem perfectam et absolutam, quam anno 1805 inchoaverat, Car. Morgensternius, Dorpatensis, quae, quod sciam, unica et novissima, post amplum Illustrissimi J. Christ. Aretini opus ²⁾, fuit quaestio de re difficili quidem et obscura, sed a veteribus frequenter ac sedulo tractata, de memoria artificiali. Nec vero mirum est, artem quandam memoriae iis temporibus acius quaesitam ac curiosius tentatam magnaue interdum opera excultam esse, quibus memoriae tam adjumenta rariora et pretiosiora quam usus frequentior et gravior erant. Nemo enim orationem ad populum aut in judiciis recitabat ante Caesarem Augustum, qui, teste Suetonio ³⁾, primus, ne periculum memoriae adiret, aut ediscendo tempus absumeret, hunc morem instituit; nec refellitur Suetonii auctoritas nonnullis locis, quibus Cicero in senatu de scripto sententiam dictam esse memoravit; id quod interdum propter rei magnitudinem fiebat, atque ut senatus consultum ita perscribi posset, uti de scripto dicta erat sententia ⁴⁾. Nam inter quinque partes, in quas omnis vis ac facultas oratoris a L. Crasso apud Ciceronem ⁵⁾ distribuitur, quarta est, ut debeat orator inventa, et composita, et oratione ornata *memoria seipere*; atque idem ille Crassus paulo ante ⁶⁾ dixit: si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vellet, eum oratorem fore, qui, quaecumque res incidisset, quae esset dictione explicanda, prudenter et compositae et ornatae et *memoriter* diceret. Nec profecto unquam dicendi artis magistri, quum scribendi exercitationem discipulis impense commendarent, hoc fecerunt, ut recitaretur potius quam ageretur oratio, sed ut, qui a scribendi consuetudine ad dicendum veniret, is hanc afferret facultatem, ut, etiam subito si diceret, tamen illa, quae dicerentur, simi-

origine hujus vocabuli, et Adjectivi *memor*, radix contineri videtur in syllaba *mor*, quum *me* sit Reduplicatio, qualis et in *memini*, nec latet cognatio verborum *mens*, *mentio*, *reminiscor*, *mones*, quia *n* et *r* similiter etiam in *murus*, *munire*, *moenia* mutantur. Huc accedit, quod vir doctissimus Fr. Boppius roganti mihi ex doctrinae suae copia verbum Sanscritum *smar* et linguae Zend *mar*, quod utrumque *meminisse* significaret, liberaliter ad opinionem meam firmandam suppeditavit.

- 1) Dorpati 1835. — 2) Systematische Anleitung zur Theorie und Praxis der Mnemonik nebst den Grundlinien zur Geschichte u. Kritik dieser Wissenschaft von I. Chr. Freiherrn v. Aretin. Sulzbach 1810. S. XIV. 168 et 560. 8vo maj. — 3) Octav. 84. cf. Dio Cass. 53, 2. extr. — 4) Disputavit de hac re breviter et commode Graevius ad Cic. Sext. 61, 129; copiosius Fr. Aug. Wolfius ad or. Marcell. Praef. XX.; temere Muellerus Coeslinensis, ad Cic. l. l., qui diversa confudit, meditatamque orationem et domi scriptam pro recitata in ipsa actione habuit. Ex locis Tullianis cf. imprimis Epist. ad Fam. X. 13. *id ex ipso senatus consulto poteris cognoscere, ita enim est perscriptum, ut a me de scripto dicta sententia est, quam senatus frequens secutus est summo studio magnoque consensu.* Ceteri loci congesti sunt a Muellero l. l. — 5) de Or. I. 31, 142. Cf. Quint. Inst. III. 3, 7. *quintam constituit communem ac velut custodem omnium memoriam (Cicero).* — 6) ib. 15, 64.

lia scriptorum esse viderentur; atque etiamsi quando in dicendo scriptum attulisset aliquid¹⁾, quum ab eo discessisset, reliqua similis oratio consequeretur²⁾. At ne in oratoribus quidem, quanquam custos omnium, quae hi et invenissent et cogitassent, vocabatur, summa erat olim memoriae facultas, sed major erat vel maxima in iureconsultis, non enim solum multum ad commendationem valebat in iure civili singularis memoria³⁾, sed, quo nihil dici potest amplius, Cicero, quum Antonium oratorem enumerantem facit omnia, quae velit in oratore esse summa, praeter acumen dialecticorum, sententias philosophorum, verba prope poetarum, *memoriam* ponit *jurisconsultorum*⁴⁾.

Nunc quidem haec omnia plane mutata sunt, adeoque omnis et jurisprudentia et dicendi vis in scriptis literis nititur, ut memoria, dummodo codicilli ad manum sint, prope supervacanea quaedam supellex esse videatur; nec immerito Platonis in Phaedro⁵⁾ Thamos Aegypti rex deo Theuth, literarum inventori, respondit: artem ejus oblivionem in animis discentium parituram propter memoriae incuriam, quippe qui fiducia scriptorum per aliena signa extrinsecus, non intus ipsi per se ipsos, in memoriam inducerentur. Quis enim hodie orator, praeter plerosque divini verbi ministros et paucos in consiliis publicis quarundam civitatum senatores aut delegatos populi, in causis gravioribus verba facit nisi de scripto? Immo dignitas ipsa actionis nonnunquam dicentes vetat scripto non uti, omnesque fere et privati et magistratus exemplum Augusti imitari coguntur. Quanquam antiquis temporibus etiam post Augustum diu insolitum erat recitare orationem, ac demum scribendi facilitate in immensum aucta haec consuetudo magis invaluisse videtur: nam Ger. Jo. Vossius in commentariis rhetoricis⁶⁾ etiam tum tanquam rarum et insolitum exemplum memorat, Carolum Quintum, patrum memoria, quum terrae hujus imperium Philippo filio traderet, ad Belgicae proceres orationem de scripto recitasse. Nec solis viris principibus illud concedi, ait, sed omnibus iis, quos aut morbus impediatur aut aetas, neque eos quidem nimium urgendos esse, qui se primum exercere incipiant in arte oratoria. At disparem esse eorum rationem, qui egregios in hac arte progressus fecerint, aut serias agant causas, nec, quominus memoriter dicant, vel occupationibus impediuntur, vel morbo vel aetate vel imbecillitate memoriae vel pudore aut metu. Nam nimium quantum gratiae ac virium de pronuntiatione deperire, dum quis in recitando lectioni vacet, neque oculos ac vultum a commentario valeat referre.

1) Haec Muellerus ad h. l. Ciceronis recte explicat: „si aliquam vel majorem orationis partem antea scripserit.“ — 2) Cic. Or. I. 33, 152. — 3) Cic. ad Fam. VII. 5, 3. — 4) Or. I. 28, 128. — 5) ed. Steph. p. 275. ὅτι διὰ πίσει γραφῆς ἐξώθεν ἐπ' ἀλλοτρίων τύπων, οὐκ ἔνδον αὐτοῖς ἐφ' αὐτῶν ἀναμνησκομένους. — 6) Lib. VI. Cap. 11, 1. Lugd. Bat. 1630.

Recte igitur et prudenter vetus ille Aegyptiorum rex praesagiverat, memoriae usum et exercitationem detrimentum captura ex scribendi facilitate; nihilo tamen minus insignis et prope stupendae memoriae exempla omnibus temporibus non defuerunt, quorum celebratissima protulit antiquitas. In quibus antiquissimum et princeps fuit Simonidis Cei ¹⁾, qui circa Ol. LXXV, 3. florebat, inventor artis mnemonicae laudatus, quique ipse memoriam suam illis versiculis commendavit:

*Μνήμην δ' οὐτινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
Ὀγδοκονταέτει, παιδὶ Λεωπρέπῃος·*

sed ad quantam ipse memoriae praestantiam pervenerit, accuratius non traditur. Inter homines memoriae laude excellentissimos posterioris aetatis multis locis refertur Cyrus rex, qui omnium ducum et praefectorum suorum nomina norat, ut Xenophon ²⁾ moderatius et verius narrat, quam Latini scriptores, qui eum omnium militum nomina tenuisse tradunt ³⁾. Nec minus Themistoclis memoria Latinis scriptoribus celebrata est, quum Cicero et Valerius Maximus ⁴⁾, eum, maximarum rerum cura districtum, omnium tamen civium suorum nomina memoria comprehendisse; Cornelius Nepos ⁵⁾, multo commodius illum apud regem Persarum verba fecisse, quam ii possent, qui in Perside erant nati, memorent; et qui parcissime, Quintilianus ⁶⁾, eum unum intra annum optime locutum esse, scribat; Graecis quidem scriptoribus et hanc hujus laudem, si non minuētib; at certe moderantibus, ita ut eum, quantum posset aut quantum satis esset Persicae linguae, didicisse referant ⁷⁾. At majora ipse de memoriae suae vi tum praedicasse videri potest, quum Simonide aut alio quo memoriae artem pollicente, oblivionis mallet, *Nam meminisse se etiam quae nollet, oblivisci non posse quae vellet* ⁸⁾. His exemplis adjici solet Mithridates Ponti rex, cui, Quintiliano et Plinio auctoribus, duae et viginti, Gellio, viginti quinque, quot imperabat populis, linguae ita notae erant, ut cum omnium gentium suarum hominibus nunquam per interpretem collocutus, et cujusque lingua et oratione non minus scite, quam si gentilis ejus esset, usus sit: et M. Crassus ille dives, qui, quum Asiae praeesset, quinque Graeci sermonis differentias sic tenuit, ut, qua quisque apud eum lingua postulasset, is eadem jus sibi redditum ferret ⁹⁾.

At haec omnia sunt documenta eximiae ejusdam facultatis audita et tradita percipiendi ac percepta continendi magnamque comparandi rerum copiam, sed nec mira-

1) Cf. Morgensternii comment. Pars I. p. IV. — 2) Cyr. V. 3, 17 τῶν ἐφ' αὐτὸν ἡγεμόνων τὰ ὀνόματα. — 3) Quint. Inst. XI. 2, 50. Plin. H. N. VII. 24. Val. Max. VIII. 7. Ext. 16. — 4) Cic. Sen. 7. Val. M. l. l. 17. — 5) Them. 10, 1. — 6) Inst. XI, 2, 50. — 7) Thuc. I. 138 τῆς τε Περσίδος γλώσσης ὅσα ἠδύνατο πατερόησε, καὶ τῶν ἐπιτηδεύματων τῆς χώρας. Plut. ed. Steph. p. 229. Ἐνιαυτὸν αἰτησάμενος καὶ τὴν Περσίδα γλῶσσαν ἀπογράφωντος ἐμαθὼν. — 8) Cic. Fin. II. 32, 104. Or. II. 74, 399. 85, 351. Acad. II. 1. — 9) Quint. Inst. XI. 2. 50. et Spald. ad h. l. Gell. XVII. 17.

bilia sunt nec ita rara aut insolita, ut non et posterior et nostra aetas similia proderit. Nam praetermisso, quod S. Hieronymus Stridonensis Latinorum, Graecorum, Hebraicorum, Chaldaeorum, Persarum, Medorum et paene omnium nationum linguas ac literas calluisse fertur ¹⁾: quis nescit, nostra memoria Franciscum I., Austriae imperatorem, civibus ex tot diversis gentibus imperio ejus subjectis, sua cuique lingua responsa dedisse; et adhuc celebratur per Italiam doctrina et memoria illustris viri Josephi Mezzofantii, primi custodis bibliothecae Vaticanae, qui non modo omnes differentias Italici sermonis ac linguarum Romanensium cognovit, sed advenam quemlibet ea, qua is domi utitur, lingua alloquatur ²⁾. Quodsi vel scientiam non solum amplissimam sed intimam quoque linguarum et dialectorum omnium, quae Europam et Asiam ceterasque orbis terrae partes incolunt, gentium, quam his temporibus litterarum quidam indagatores prae se ferunt, contuleris, prae his omnia ea, quibus et antiquitas et recens tempus gloriatum est memoriae miraculis, prope lusus ac jocus videantur.

Verum multo magis admiramur ac prope stupemus illam facultatem cito vel subito non singulas res ordine quodam et connexu naturali inter se cohaerentes, sed vastam quandam atque indigestam rerum aut verborum molem concipiendi: ut Cineas praedicatur, missus a rege Pyrrho ad Romanos legatus, postero die et senatum et omnem urbanam circumfusam senatui plebem nominibus suis persalutavisse; aut Hippias sophista apud Platonem ³⁾ ipse gloriatus est, posse se quinquaginta semel audita verba tenere. Quod equidem multo insignius eximiae memoriae specimen puto, quam id quod quidam apud M. Senecam ⁴⁾ et alii quoque recentioribus temporibus fecerunt, qui recitatum a poeta carmen, suum esse, dixerunt, et protinus memoriter repetiverunt, quum hoc ne ille quidem, cujus carmen erat, facere posset. Sed et haec vilia nec ullius momenti videntur comparata cum posterioribus exemplis. Charmadas enim, discipulus Carneadae, illius auctoris Academiae tertiae, ab Antonio oratore, qui eum in Asia viderat, jure homo divina prope memoria vocatus est ⁵⁾, quippe qui omnes libros, qui in bibliothecis desiderabantur, memoriter recitare sciret; nam ita quidem intelligenda censeo Plinii ⁶⁾ verba: *quae quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repraesentavit*. Nec his minora a M. Seneca ⁷⁾ de Porcio Latrone, claro ejus temporis declamatore, narrantur: „Nunquam, ait, ille, quae dicturus erat, ediscendi causa relegerat; edidicerat illa, quum scripserat; quum id in illo magis mirabile videri possit, quod nec lente et anxie, sed eodem paene,

1) v. hoc et plura alia exempla in Schenckelii Gazophylacio artis memoriae Lib. I. cap. 2. — 2) v. Conversations-Lexicon der neuesten Zeit und Literatur. — 3) ed. Steph. p. 285, e. — 4) Controv. I. Praef. p. 66. ed. Bip. — 5) Cic. Or. II, 88, 360. — 6) H. N. VII. 24. — 7) l. l. p. 65.

quo dicebat, impetu scribebat. In illo non tantum memoriae felicitas erat, sed ars summa et ad apprehendenda, quae tenere debebat, et ad custodienda; adeo ut omnes declamationes suas, quascunque dixerat, teneret. Jam itaque supervacuos sibi fecerat codices: aiebat, se scribere in animo. Cogitata dicebat ita, ut in nullo unquam verbo eum memoria deceperit¹⁾. Praeterea erat ei historiarum omnium summa notitia: iubebat aliquem nominari ducem, et statim ejus acta cursu reddebat; adeo, quaecunque in animum ejus semel descenderant, in promptu erant. Aequè mirabilia de se ipso idem Seneca refert¹⁾: nam et duo milia, inquit, nominum recitata, quo ordine erant dicta, reddebam: et ab his, qui ad audiendum praeceptorem nostrum convenerant, singulos versus a singulis datos, quum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum, quae vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda, quae acceperat²⁾.

At vero omnia haec antiquitatis miracula longe a quibusdam exemplis recentis temporis superata sunt, ab adolescente Corsico apud Muretum²⁾ et a Petro Ravennate. Ille quidem non modo nominum Latinorum, Graecorum, barbarorum, significantium, nihil significantium tantam copiam, ut et Muretus dictando, et puer, qui ea exceperat, scribendo, et ceteri, qui aderant, audiendo atque expectando fessi essent, postquam fixo ad terram obtutu tacitus aliquamdiu stetit, et eodem et quo quisque voluerat ordine nusquam haesitans reddidit: sed ipse affirmavit quoque, se triginta sex milia nominum eo modo recitare posse; itaque haerebant ei omnia in animo, ut, vel post annum, diceret, se, quaecunque memoriae commendasset, minimo negotio repetiturum. Et hunc, Muretus affirmat, ab omni jactantia alienissimum fuisse, atque multos patricios Venetos nominatim adolescentesque nobilissimos ejus rei testes producit. Alter vero Petrus Ravennas sub finem seculi quinti decimi sine libris aut codicillis Italos omnes adeo rerum copia superabat, ut Petrus a memoria appellaretur, et ob hanc mirificam facultatem civitate et multis beneficiis atque immunitatibus a populis et principibus ornaretur. Inter ejus admirabilia memoriae exempla maxime insignia et memoratu digna mihi videntur: quod nondum viginti annos natus Patavii omnes leges Codicis citanti cuique referebat; quod ibidem omnes sermones, quos Mag. Antonius Eremita per sacrum quadraginta dierum tempus habuerat, recitabat atque huic scriptos tradidit, ut hic ipse postea Patavii pro contione dicere recusaret. Aliquando quum latrunculis luderet, alio talos jaciente, alio jactus perscribente, ipse simul duas epistolas de re ibidem proposita dictavit; ludoque finito sin-

1) l. l. p. 59. — 2) Varr. lectt. III. 1.

gula verba epistolae recitavit retrorsus, repetivit omnes tractus latruncolorum, omnes jactus talorum ¹⁾.

Novissimum tantae memoriae exemplum, quod in meam quidem notitiam venit, clari est et docti grammatici Richardi Porsoni, Britanni, cujus vis memoriae omnes fines excedens ad omnes res pertinebat: quum ignobilia nomina ac vulgaria carmina non minus facile quam locos clarissimorum antiquitatis scriptorum, quibus operam dabat, teneret, versusque vulgatae cujuslibet cantilenae ac carminum de trivio non minus prompte quam Aeschyli, Sophoclis, Euripidis memoriter redderet ²⁾.

Tam insolitam, tam prope incredibilem facultatem propensi sumus ad aliquam eximiam natura insitam vim ingenii referre; nec ultra quaereremus, nisi, qui illa exempla tradiderunt auctores, iidem de artificiosis quibusdam adjumentis, de arte quadam memoriae loquerentur, et eam ne difficilem quidem esse confirmarent: ut M. Seneca, postquam illa de Porcio Latrone disseruit, adjicit: „Video vos, juvenes mei, plus justo obstupescere; alia vos in illo mirari volo; hoc, quod tantum vobis mirum videtur, non operosa tradi potest arte. Intra paucissimorum dierum tempus poterit quilibet facere, id quod Cineas fecit etc.“ Similiter Muretus narrat, Corsicum adolescentem mirabilia illa et incredibilia auxilio artis cujusdam effecisse, quam ab homine Gallo, quo puer domestico praeceptore uteretur, accepisset, ipsumque Corsum eandem artem cum Francisco Molino, patricio Veneto, adolescente parum firma memoria, sex septemve diebus ita communicasse, ut hic quoque alter nomina amplius quingenta, sine ulla difficultate, aut eodem aut quocunque alio libuisset ordine, repeteret.

Haec res a locupletissimis auctoribus traditae nos sane cupidos faciunt talis artis cognoscendae ac, si liceat, penitus discendae, quum in omnibus partibus studiorum, tum in quovis eruditionis genere maximi futurae momenti. Profecto principium et fundamentum habendum esset omnis institutionis imprimis scholasticae et cum ipsis parvulis jam ab ineunte aetate communicanda, ut hi arcanis utilissimae discentibus artis quam primum initiati omnia alia faciliore et rectiore via, quam nunc fieri solet, perciperent. Sed audiamus primo ipsos, qui miracula illa memoriae narraverunt. In his Muretus de arte ipsa nihil; quamvis Lamb. Schenckelius ³⁾ non dubitet, quin Muretus quoque hanc artem imbiberit et sedulo excoluerit, eaque studia ejus maxime adjuncta sint: ille vero ipse nihil aliud quam veritatem rei narratae affirmat, seque

1) Cf. Aretini opus laudatum Lib. III. p. 175. Ravennas ipse de arte memoriae libellum a. 1491 edit: Foenix domini Petri Ravennatis memoriae magistri. — 2) Blätter f. liter. Unterhaltung 1837. Nr. 121. (11.) — 3) l. l. p. 35.

ejus testes habere innumerabiles, a quibus, si mentiretur, vanitatem suam coargui nolle. Nec plura aut certiora M. Seneca; quin joculari cum filiis suis, ad quos praefatio primi libri *Controversiarum* scripta est, videatur, quum narratis illis memoriae miraculis ita pergat: „Cupitis statim discere; suspendam cupiditatem vestram et faciam alteri beneficio locam.“

At vero alii certiora et copiosiora de mnemonica tradiderunt. De ejus inventore quidem, qui vulgo putatur, Simonide nihil accepimus, nisi eum invenisse, ordinem esse maxime, qui memoriae lumen afferret, et juvari memoriam signatis animo sedibus¹⁾. Ordinem vero summam in ediscendo legem esse, omnium temporum sapientissimi viri confirmaverunt, et eandem ob causam mathematicen facile memoria teneri Aristoteles censet²⁾. Ceterum artem memoriae ipsam jam vetustissimis temporibus a Simonide illo Ceo inventam esse, ut jam Cicero³⁾ incertum reliquit, ita Morgensternius in commentatione, quam supra memoravimus⁴⁾, persuasibilibus argumentis Hippiam Eleum sophistam, aequalem Socratis, artis inventorem esse, probat; qui ad eam commendandam clari poetae, propter memoriam nobilitati, auctoritatem praetenderit: artem vero ab Hippia excogitatam postea Theodectem Phaselitam, Aristandri filium, Platonis, Isocratis, Aristotelis discipulum, oratorio maxime usui applicuisse; qui et ipse memoria florebat, quum quemlibet numerum versuum semel auditorum statim repetere valeret⁵⁾. Post eum excelebant hac arte sub finem secundi a. Chr. n. seculi Charmadas et, qui artem consummavit, Metrodorus Scepsius, qui Plinio et Solino auctoribus⁶⁾, meditatione assidua id effecerat, ut a multis simul dicta non modo sensuum sed etiam verborum ordinibus teneret.

Itaque memoriae artem a Graecis hominibus inventam quidem et excoltam videmus, tamen ab horum nullo artis ipsa praecepta nobis tradita sunt, quamvis non ignoremus, Graecos quoque de ea libros scripsisse⁷⁾. Inter partes quidem rhetorices apud eos non omnes, ut postea apud Romanos, habitam esse, ex Diogene Laertio intelligitur, qui, quum quattuor reliquas inventionem, elocutionem, dispositionem, actionem memoret, de memoria taceat⁸⁾; nec Vossius quidem in rhetoricis eam magis quam Logicen artis oratoriae partibus adjudicat⁹⁾. Nec movet nos, quod idem ille Diogenes¹⁰⁾ inter scripta Aristotelis *Μνημονικὸν* à refert; nam cur eam artem memoriae haberi

1) Cic. Or. II. 86. Quint. Inst. XI. 2, 11. — 2) *περὶ μνήμης καὶ ἀναμνήσεως* Cap. 2. καὶ ἔστιν εὐμνημόνευτα, ὅσα τάξιν τινὰ ἔχει, ὡςπερ τὰ μαθήματα. — 3) Or. II. 87, 357 sive *Simonides sive alius quis invenit*. — 4) p. VIII. — 5) ib. p. X. — 6) ille H. N. VII. 24; hic Polyhist. Cap. I. p. 10. ed. Salmas. — 7) Auct. ad Her. III. 23 *plerosque Graecos, qui de memoria scripserunt*. — 8) VIII. I. 34. (§. 42.) in vita Zenonis: *εἶναι δ' αὐτῆς (τῆς ῥητορικῆς) τὴν διαίρεσιν εἰς τε τὴν εὐρεσιν, καὶ εἰς τὴν φράσιν, καὶ εἰς τὴν τάξιν, καὶ εἰς τὴν ὑπόκεισιν*. Cf. tamen Cic. Inv. I. 7. — 9) Rhet. VIII. c. 9. — 10) VI. 1, 12. (§. 26.)

opus est, aut quid impedit, quominus hoc idem atque illud habeamus, quod, *περὶ μνήμης καὶ ἀναμνήσεως* inscriptum, nobis traditum est, nec quidquam de memoria artificiali continet, quamquam philosophus alibi hujus mentionem facit ¹⁾.

Quae plenius et accuratius de hac arte a veteribus culta nobis tradita sunt, ea omnia tribus Romanis scriptoribus accepta referimus, incerto illi auctori rhetororum ad Herennium, M. Tullio Ciceroni, M. Fabio Quintiliano. Rhetorem illum incognitum M. Antonium Gniphonem, de quo Suetonius in libello de illustribus grammaticis ²⁾ nonnulla tradidit, fuisse, eumque circa a. U. DCLXVI. scripsisse, Gothofredus Schütz satis idoneis, ut opinor, argumentis, in Prolegomenis ad libros illorum rhetororum, probavit ³⁾. Is igitur rhetor copiosius quam ceteri de memoriae arte in tertio libro ⁴⁾ hoc modo disputat. Duas esse, ait, memorias, unam naturalem, alteram artificiosam: naturalem esse eam, quae nostris animis insita sit, et simul cum cogitatione natam; artificiosam eam, quam confirmet inductio quaedam et ratio praeceptionis. Artificiosam memoriam constare ex locis et imaginibus. Locos appellare se eos, qui breviter, perfecte, insignite, aut natura aut manu sint absoluti, ut eos facile naturali memoria comprehendere et amplecti queamus, ut aedes, intercolumnium, angulum, fornicem et alia, quae his similia sint. Sed comparandos esse multos locos, et ex ordine, ne quando perturbatione impediamur, praeterea dissimiles forma atque natura, ut distinctio interlucere possit. Iam et magnitudine modica locos haberi oportere: nam et praeter modum amplos vagas imagines reddere, et nimis angustos saepe capere non posse imaginum collocationem; tum nec nimis illustres nec vehementer obscuros, ne aut obcaecentur tenebris imagines aut splendore praefulgeant. Intervalla locorum mediocria placere fere paulo plus aut minus pedum trinum ⁵⁾. Imagines porro esse formas quasdam et notas et simulacra ejus rei, quam meminisse velimus, ut equos, leones, aquilas; quorum memoriam si velimus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportere. Quemadmodum igitur, qui literas sciunt, possint id, quod dictatum est, scribere, et recitare quod scripserunt: ita, qui *μνημονικὰ* didicerunt, posse, quae audierint, in locis collocare, et ex his memoriter pronuntiare. Locos enim cerae aut chartae simillimos esse, imagines literis, dispositionem et collocationem imaginum scripturae, pronuntiationem lectioni. Ita in locis ex ordine collocatis eventurum, ut in quamlibet partem, quotoquoque loco libeat, imaginibus commoti dicere possimus id, quod locis mandaverimus. Quare placere et

1) de anima III. 3. ed. Bekker. *ὡςπερ οἱ ἐν τοῖς μνημονικοῖς τεθέντες καὶ εἰδωλοποιούντες.* —

2) Cap. 7. — 3) M. T. Ciceronis opera rhetorica rec. et illustr. Chr. G. Schütz Vol. I. P. 1. Prolegg. Cap. I. 2. — 4) Cap. 16—24. — 5) Sic ex Delbenii conjectura, quae firmatur ab interprete Graeco *ποδῶν τριῶν*, pro vulgato *pedum tricenum* legendum videtur.

ex ordine locos comparare, et locos, quos sumpserimus, egregie commeditari oportere, ut perpetuo nobis haerere possint: nam imagines sicut literas deleri, ubi nihil illis utamur; locos tanquam ceram remanere debere¹⁾. At *imagines* duplices esse debere, unas *rerum*, alteras *verborum*. Rerum imagines exprimi, quum summatim ipsorum negotiorum similitudines comparemus: verborum imagines constitui, quum uniuscujusque nominis et vocabuli memoria similitudine notetur. Rei totius memoriam saepe una nota et imagine simplici nos comprehensuros; cujus generis Rhetor ipse exemplum his verbis proponit: „Si accusator dixerit, ab reo hominem veneno necatum, et hereditatis causa factum arguerit, et ejus rei multos dixerit conscios et testes esse; si hoc primum, ut ad defendendum nobis expeditum sit, meminisse volumus, in primo loco rei totius imaginem conformabimus. Aegrotum in lecto cubantem faciemus ipsum illum, de quo agetur, si formam ejus tenebimus; si eum non cognoverimus, aliquem aegrotum non de minimo loco sumemus, ut cito in mentem venire possit, et ream ad lectum ejus adstituemus, dextra poculum, sinistra tabulas, medico digito testiculos arietinos tenentem. Hoc modo et testium et hereditatis et veneno necati memoriam habere poterimus. Item deinceps cetera crimina ex ordine in locis ponemus, et quotienscunque rem meminisse volumus, si formarum dispositione et imaginum diligenti notatione utemur, facile ea, quae volumus, memoria consequemur.“ Haec bene ac prudenter a rhetore praecipitur, is imprimis intellexerit, qui historiae studio operam dedit, ubi tum demum rerum copiam facilius ac firmiter tenemus, quum singularum imagines in animo nostro statuimus.

Plus negotii suscipi, et magis ingenium nostrum exerceri, censeat deinde rhetor, quum verborum similitudines imaginibus exprimere velimus, at improbat, id quod plerique Graeci, qui de memoria scripserunt, fecerunt, ut multorum verborum imagines conscriberent, uti, qui ediscere vellent, paratas haberent, ne quid in quaerendo operae consumerent. Nam primum in verborum innumerabilium multitudine ridiculum esse, mille verborum imagines comparare; deinde nolle se ab industria quemquam remove, ut ne quid ipse quaerat, quum illi omnia parata quaesitaque tradantur. Ipse vero exempli causa hoc proponit. Tenendum esse memoria versum:

Iam domuitionem reges Atridae parant.

In primo loco, inquit, constituere oportet manus ad coelum tollentem *Domitium*, cum a *regibus Marcii* loris caedatur²⁾; hoc erit *Iam domuitionem reges*: in altero loco

1) Cf. Cic. Or. II. 86. *sic fore — ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur.* —

2) Haec verba leguntur cap. 21., ad quae Schütz in commentario animadvertit: „Hac imagine videtur memoria quaedam tangi auctoris aetate notissima: nempe Domitius aliquis a Marcii Regibus loris caedi potuit; certe haud est credibile, rem totam fictam esse ad imaginem conficiendam. Aut

Aesopum et Cimbrum subornare vitta Iphigeniam parantes; hoc erit *Atridae parant*¹⁾. Hoc modo omnia verba erunt expressa.

Ridicula et insulsa haec videantur. Concedo; primo certe ad aspectu: nec intelligeremus, quomodo homo alioqui doctus et intelligens nugas tam ineptas quasi doctrinam serio traderet, nisi ipsi sciremus, quantum memoria ludendo adjuvaretur id quod suo quisque discet experimento. Equidem et in institutione puerorum et in ediscendo persaepe ipse expertus sum, vel difficillima discrimina aut subtilitates rerum, peregrina et absona nomina, multiplices numerorum series, adhibito aliquo ludicro adjuvamento aut versiculo memoriali citius et firmiter quam impensissima cura contineri, cuius generis exempla nec rara sunt nec abscondita. Nec vero illa praeceptis suis objici posse, rhetorem prudentem fugerunt, quum sub finem horum praeceptorum²⁾ adjecerit: ne quis forte verborum memoriam aut nimis difficilem aut parum utilem arbitretur, et ipsarum memoria rerum contentus sit, quod et utilior sit, et plus habeat facilitatis, admonendum esse, quare verborum memoriam ipse non improbet. „Nam, inquit, putamus, oportere eos, qui velint res faciliores sine labore et molestia facile meminisse, in rebus difficilioribus esse ante exercitatos, ut ab hac difficili consuetudine sine labore ad illam facilitatem transire possimus. Sed quum in omni disciplina infirma est artis praeceptio sine summa assiduitate exercitationis, tum vero in *μνημονικοῦ* minimum valet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia comprobetur.“

Qui proxime rhetorem illum de memoriae arte plenius disputavit, Cicero in secundo de Oratore libro³⁾, postquam breviter illam locorum et imaginum rationem attingit, laudat ingenium inventoris, qui prudenter vidit, ea maxime affigi animis nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa. Acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi: quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res caecas et ab aspectus iudicio remotas conformatio quaedam et imago et figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti non possemus, intuendo quasi teneremus⁴⁾.

ad tabulam aliquam pictam fortasse antiquam publice collocatam omnibus notam respicit, in qua quidam ex patricia gente Marciorum Regum plebejorum aliquem hominem Domitium loris caedere parabant.

- 1) Sic enim legendum esse ex varia Codicum scriptura conjeci. Schütz recepit *Aes. et Cimbr. subornare in Iphigenia agentes Agamemnonem et Menelaum*; Orelli *Aes. et C. subornare Iphigeniam Ag. et Men.*, sed nota corruptelae apposita; Morgenstern l. l. p. XXVII. *Aes. et C. subornantes vitta Iphigeniam*, maxime Turicensis codicis scripturam *Aes. et C. subornari ut ephigeniam vagantem*, omissis ceteris, secutus. Equidem magis etiam ad manuscripti verba accedendum et in his acquiescendum putavi, donec meliora praebeantur. Ceterum Cimber et Aesopus duo erant actores, in tragoedia Iphigenia Agamemnonem et Menelaum agentes. — 2) Cap. 24. 3) Cap. 86 — 88. — 4) ib. 87, 357.

Singula tamen praecepta artis ipse non tangit, nisi ut pauca de verborum memoria proponat: similium verborum convertendam et immutandam casibus aut *traducendam ex parte ad genus notationem*, et unius verbi imagine totam sententiam informandam, verborumque, quae quasi articuli connectunt membra orationis, quae formari similitudine nulla possunt, fingendas nobis esse imagines, quibus semper utamur. Rerum vero memoriam propriam esse oratoris; eam *singulis personis bene positis* notare nos posse, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus.

Haec praecepta a Cicerone posita nobilissimi mnemonicae doctores medio aevo et recentiore aetate secuti partim diligentissime excoluerunt. Inter quos Raymundus Lullus¹⁾, mirabile sui temporis ingenium, in celebratissimo suo opere, *Arte magna*, traducendis ex parte ad genus notionibus verborum, praecipuum subsidium memoriae parare temptavit²⁾. Alii, imprimis singulis personis ponendis ad easque cetera omnia applicando, ad lusus et jocos vel ad ineptissimas usque nugas descenderunt, quos in Latinum sermonem translatis hoc loco referre taedet³⁾.

Sed ut ad tres illos veterum nobis servatos memoriae artis doctores praecipuos redeam, proximus post Ciceronem est M. Fabius Quintilianus. Is in secundo capite undecimi libri de institutione oratoria non modo, quae de hac arte ante ipsum tradita erant, breviter narrat, sed et de ipsa fert iudicium et sua proponit praecepta. Memoriam plurimum quidem naturae munus esse censet, sed ipsam excolendo sicut alia omnia augeri. Hunc merito thesaurum eloquentiae dici, hoc mentis vigore videri totam extemporalem dicendi facultatem constare. Fore tamen, ut nesciretur, quanta vis esset ejus, quanta divinitas illa, nisi lumen orandi extulisset. Pertractata deinde et recensita arte memoriae et locorum imaginumque doctrina, ipse „Nonne impediri,

1) Vixit ab a. 1234-1315. — 2) Cf. Aretin l. l. p. 117. — 3) Ut exemplo ostendam, ad quantam insulsitatem etiam in hoc opere mens humana aberrare potuerit, memorabo specimen in Germania ante Aretinum novissimum, in quo haec ars curiosius ac plenius tractata est, Doebelii Rostochiensis Collegium mnemonicum, Hamburgi a. 1707, 510. paginis editum, magno hiatu ingentia promittens. Sic enim est inscriptum: „*Gantz neu eröffnete Geheimnisse der Gedächtniskunst, darin vermöge der in Kupfer gestochenen Gedächtniszstube der unvergleichliche Vortheil angewiesen wird, die h. Bibel, Jurisprudenz, Chronologie, Oratorie etc. nebst denen mathematischen und andern Wissenschaften gleichsam spielend in kurtzer Zeit dem Gedächtnisz zu imprimiren: also dasz, Krafft solcher getreuen Anweisung, ein Staatsmann eine noch so lange Harangue, und ein Prediger das allerweitläufigste Concepte glücklich und geschwinde zu memoriren capable; samt einem niemals in solcher Vollständigkeit gesehenen Lexico mnemonico.*“ At ipse nihil docet nisi spinas et tricas, quae vel pueris risum moveant. Quis enim ferat serio docentem, quum litera T sit tenenda, fingendum esse mallei signum, vel aliquod vocabulum ab eadem litera incipiens, ut Taube, eaque personae alicui a nobis positae, velut Aaronis, ita applicanda esse: *Aaron künstelt ein güldenes Kalb und schläget es mit dem Hammer, oder: grübet und sticht eine Taube in dasselbige;*“ et alia innumerabilia ejusmodi aut multo etiam infictiora?

inquit¹⁾, eorum, quae dicit, cursum necesse est duplici memoriae cura? Quare et Charmadas et Scepsius Metrodorus sibi habeant sua, nos simpliciora tradamus. Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediscere, et hae partes non sint perexiguae. Non est inutile iis, quae difficilius haereant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat et quasi excitet memoriam: *ancoram*, si de nave dicendum sit, *spiculum*, si de proelio. Multum enim signa faciunt, et ex alia memoria venit alia. Origo quoque aliquando declinatorum tenendi magis causa est. Illud neminem non juvabit, iisdem, quibus scripserit, ceris ediscere; sequitur enim vestigiis quibusdam memoriam et velut oculis intuetur non paginas modo sed versus prope ipsos, qui dicit, similis legenti. Ediscere tacite erat optimum, si non subirent velut otiosum animum plerumque aliae cogitationes, propter quas excitandus est voce, ut duplici motu juvetur memoria, dicendi et audiendi; sed haec vox sit modica et magis murmur. Alioqui id maxime faciendum est, ut nos subinde temptemus, quia continua lectio, et quae magis et quae minus haerent, aequaliter transit. Illud ediscendo scribendoque commune est, utrique plurimum conferre bonam valetudinem, digestum cibum, animum cogitationibus aliis liberum. Verum et in iis, quae scripsimus, complectendis multum valent, et in iis, quae cogitamus, continendis prope solae divisio et compositio. Etiam, quae bene composita erunt, memoriam serie sua ducent. Sic contingit, ut etiam, quae ex tempore videbantur effusa, ad verbum repetita reddantur: quod meae quoque memoriae mediocritatem sequebatur, si quando interventus eorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegisset. Si quis tamen unam a me maximamque artem memoriae quaerat, exercitatio est et labor: multa ediscere, multa cogitare, et, si fieri potest, quotidie, potentissimum est. Quare et pueri statim quam plurima ediscant, quod ipsum hoc fieri potest levius, si pauca primum, et quae odium non afferant, coeperimus ediscere: tum quotidie adjicere singulos versus, quorum accessio labori sensum incrementi non afferat, in summam ad infinitum usque perveniat, et poetica prius, tum oratorum, novissime etiam solutiora numeris. Difficiliora enim debent esse, quae exercent, quo sit levius ipsum illud, in quod exercent. Mirum dictu est, quantum nox interposita afferat firmitatis, sive requiescit labor ille, cuius sibi ipsa fatigatio obstabat, sive concoquitur seu maturatur, quae firmissima ejus pars est, recordatio. Breviter deinde illustrissimis memoriae miraculis perlustratis, hunc finem facit: „dicebantur etiam nunc esse, qui facerent, sed mihi nunquam, ut interesset, contigit: habenda tamen fides est vel in hoc, ut, qui crediderit, et speret.“

1) l. l. §. 26. et seqq.

Patet, quemadmodum Quintilianus ad simplicem et sanam rationem, ad usum et exercitationem, quae omnibus temporibus erunt potentissima, redierit; itaque artem Metrodori, qua is in duodecim signis, per quae sol meat, trecenos et sexagenos invenerat locos, vanitatem atque jactationem appellabat hominis circa memoriam sua potius arte quam natura gloriantis ¹⁾. Nec aliter vani illius et gloriosi sophistae Hippiae ars fuerit, ac nescio an et illa quam M. Seneca filius promisit, vir alias quidem modestus et sobrius. Mnemonicae a Graecis traditae Romae prima et quasi juvenili aetate studiorum rhetoricorum acrius et cum spe boni alicujus fructus operam datam esse, facile intelligitur. Verum jam Cicero eandem leviter in scriptis rhetoricis tractat, nec Crassum oratorem nisi obiter de ea disserentem facit: se de memoria quaedam brevia sed magna cum exercitatione praecepta gustasse ²⁾; et paulo post, exercendam esse memoriam ediscendis quam plurimis et nostris scriptis et alienis: atque in ea exercitatione non sane ei displicere, si quis consuerit, etiam istam *locorum simulacrorumque* rationem adhibere, quae in arte traditur ³⁾. Quintilianus denique, ut supra vidimus, artificiosa illa praecepta fere prorsus abjecit. Ultimis autem Romani imperii temporibus, quum omnium animi propensi essent, eximia quaeque ad artes referre magicas, sane mirum non est, quod apud Ammianum Marcellinum ⁴⁾ legimus: si verum sit, quod scriptores varii memorent, Cyrum et Simonidem et Hippiam ideo valuisse memoria, quod epotis quibusdam medicamentis id impetrassent, credendum esse, imperatorem Julianum totam memoriae dolium, si usquam reperiri posset, exhausisse. Ac profecto hoc non magis mirandum videtur, quam quod Diodorus Siculus ⁵⁾, qui eruditore etiam tum aetate vivebat, de Homericis illis in Odyssea oblivionis potu ita disputat, quasi, extare ejusmodi medicamentum et in usu adhuc apud mulieres Aegyptiacas esse, revera credat. Esset quidem tale remedium vel memoriae arti, ut Themistocles judicavit, multo praeferendum, si revera aequaret illud medicamen Homericum, quod divinus poeta inenarrabili in quovis alio sermone modo dicit ⁶⁾:

Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπιλήθον ἀπάντων.

"Ὅς τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μυγείη,

Οὐκ ἂν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν,

Οὐδ' εἰ οἱ κατατεθναίῃ μήτηρ τε πατήρ τε,

Οὐδ' εἰ οἱ προπάροιδεν ἀδελφεὸν ἢ φίλον υἷόν.

Χαλκῷ δηΰφεν, ὅ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὄρῳτο.

1) l. l. §. 22. — 2) de Or. I, 32, 145. — 3) ib. 34, 157. — 4) XVI, 5. — 5) l. 97. p. 109. — 6) Od. IV. v. 221 — 226. et interpretes. Cf. Aretin l. l. p. 530. Kap. VIII. Geschichte der Vergessungswissenschaft.

Quodsi cui libebit sexcenties repetita et renovata per medium aevum usque ad nostram memoriam mnemonicae studia cognoscere, huic abunde satisfaciet grande Illustrissimi Aretini opus, quod septingentis quadraginta duabus paginis scriptum Sulzbaci a. 1810. cum magno doctrinae apparatu prodit. Sed tam hoc opere quam quovis alio mnemonicae libro docemur, quantopere ubique artis hujus doctores a vera et simplici via usus et exercitationis prudenter institutae in desertas ac steriles regiones aberraverint, quae ne diligenter quidem cultae fructus sed solos sentes ac dumos procreaverunt. Fatendum tamen est, Aretinum viam semel institutam constanter et circumspectis ac provisus omnibus rebus persecutum esse, verum ejus quoque doctrina artificiosa quidem est, sed difficilior ac magis perplexa, quam quae ullum discipulis praebeat fructum luculentum, et fere tertia pars ejus institutionis ediscendis numeris absumitur. Utilissima et gravissima operis pars, quae eadem est longe amplissima, quum ultra dodrantem ejus occupet, continet historiam literariam mnemonicae, nec possumus non admirari assiduitatem et diligentiam, qua vir nobilissimus omnes bibliothecas excussit ad artis suae non quidem, ut speraverat, veritatem sed vanitatem ostendendam. Praeter multa alia ex hac parte memoria non indigna docemur, ex uno seculo decimo quinto quinquaginta variorum auctorum libros vel tractatus de arte memoriae in notitiam ejus venisse ¹⁾, primumque opusculum de hoc argumento Germanice a M. Joanne Hartlieb scriptum esse, quod his verbis finitur: *das püchlein hat gesamlt und zu däutsch bracht Hans Hartlieb durch seines lieben Herrn willen Ludwigs des hochgebohren Fürsten in Baiern 1432.* ²⁾

Extat quoque dialogus Alcuini de arte rhetorica ³⁾, in qua Alcuinus a Carolo rege interrogatus, Quid diceret de nobilissima rhetoricae parte memoria? postquam respondit, Quid aliud quam quod M. Tullius dicit? Carolo denno percontato, Essentne aliqua ejus praecepta, quomodo vel illa obtinenda vel augenda esset? ita pergit: „Non habemus ejus alia praecepta, nisi dicendi exercitationem et scribendi usum et cogitandi studium et ebrietatem cavendam, quae omnibus bonis studiis nocet maxime, quae non solum corporis aufert sanitatem, sed etiam mentis adimit integritatem.“ Et haec praecepta revera sunt optima nec unquam negligenda. Imprimis vero commendaverim hoc loco scribendi usum, qui mirum quantum valet ad tenenda ea, quae memoriae simus mandaturi; stilus enim velut sulcos ducit, ad continenda et fovenda semina, quae animo simus commissuri, nec facile, quae tenendi causa scripseris, excident, id quod suo quisque didicerit experimento. Probant hoc

1) III. Buch. p. 191. Cf. praeter hoc meum judicium etiam Morgensternii l. l. p. XI. 11. Epimetrum II. — 2) Aretin l. l. p. 143. — 3) ed. Capperon. p. 405.

praeter praecepta hominum sapientissimorum etiam clarissima doctorum virorum exempla, ex quibus hic solum Richardum Porsonum memorabo, qui ipse testatus est, se omnia, quaecunque teneret, minimum ter scripsisse, et unumquemque eadem ratione memoriam suam posse firmare. Itaque nolim adeo negligi vel etiam damnari scribendi usum in iis eruditionis partibus, quae, ut rerum historia, maxime memoriae viribus nituntur: ne citius effluant, quae auribus tantum percepta sunt, sed dum aures tradita excipiunt ac mens audita velut concoquit, stilus eadem affigat, ut firmiter haereant, nec levi momento possint avelli aut extinguere. Quid enim juvabit, permultas res mentem nostram quasi transvolasse? discimus enim, ut sciamus, et tantum scimus, quantum memoria tenemus.

E. Bonnell.

Reden
welche bei der Einführung
des
Directors Bonnell
am 10. Januar
im Hörsaale des Gymnasiums
gehalten worden sind.

Hohen
welter bei der Einführung

Directors Bonnell

im Interesse des Gymnasiums

gebildet werden soll